

1614

consilii caperet, Apostolicæ sedis dignitas ac majestas impedi-
re videbatur, cui detractum maxime iri existimabat, si, Le-
gato in Hispaniam misso, voti compos non fieret. Præcisa
itaque pacis spe, omnis tollendorum dissidiorum ratio in
armis relicta videbatur. Quamobrem Patrum studia ad Gal-
liæ Cisalpinæ arces communiendas, ad copias augendas,
novos delectus habendos, milites externos conscribendos
convertebantur. Cumque Antonius Priolus, superiore an-
no cum summo imperio legatus in continentem missus, re-
ditum in patriam impetrasset; Antonius Landus, Marcus Pro-
curator, cum eadem auctoritate mense decembri suffectus
est.

*Antonius
Landus le-
gatus in
continenti.*

Quamvis vero Italiæ imminentibus periculis ab Illyrici rebus
Patres avocarentur, manebant tamen infixa animis, quæ bar-
bare atque impie ab Uscochis in Venerii triremem atque in
trierarchum ipsum perpetrata fuerant; incommodis, quæ publi-
cæ Italiæ tranquillitati officere videbantur, sublatis, omnes co-
natus in immanium prædonum genere profligando adhibituri.
Neque a Laurentio Venerio, qui, ut diximus, Donato suf-
fектus fuerat, ad eos opprimendos quidquam prætermitte-
batur. Nam edicto Jaderæ promulgato, quo navigia omnia
ultra citroque Senniam commeantia quindecim dierum elapsō
tempore se aggressurum depressurumque minabatur, omni ma-
ritimo commercio interdicere illius regionis incolas nitebatur;
atque nonnullis, quæ adversus edictum Senniam contendebant,
navigiis depressis ac male muletatis, is terror cunctos
invaserat, ut nulli amplius illis commeatus suppeditarentur,
omnesque ab ea navigatione se abstinerent; indeque summis
angustiis pressi, fame laborare inciperent. His fiebat, ut
subjectorum querelis assiduisque lachrymis excitus Cæsar,
qui conseleratam gentem summo odio prosequebatur, aliqua
ratione his incommodis prospiciendum arbitraretur, indignum
suis in ditionibus teterimam adeo pestem ali ac foveri ex-
stimans. Ob id Echembergium comitem, Croatiæ summum
præfectum, Senniam legavit, qui sontes plesteret; ac, ne
impostorum tot scelera patrarentur, curaret. Is Senniam cum
pervenisset, Cæsanæ comitem ad Venerium, colloquium
petitum, misit, seque a Cæsare, ut satis Reipublicæ faceret,

lega-

*Echember-
gius a Cæ-
sare Sen-
niam mis-
sus.*